

Anonymous¹

Manuscript: Uppsala, C 383, f. 126r-v

De sancto Stanislao.

[Thema] *Vidi alterum angelum descendantem de celo amictum nube et iris in capite eius et facies eius erat sicut sol.* Apoc. 10 [1].

Apostolus inter ceteras visiones quas sibi Deus dignatus est ostendere sive revelare, vidit angelum descendantem, de quo in verbis premissis dicit ‘*Vidi*’, in quo ‘angelus’ ille designat beatum Stanislaum, de quo tria hic tanguntur:

<1> Primo tangit vite sanctitatem in hoc quia angelo eum comparat; ibi: *Vidi alterum angelum* etc., *amictum nube*, idest castitate et castis actibus.

<2> Secundo tangit eius premium, cum dicit: *Iris in capite eius*, idest corona.

<3> Tercio exprimit nostram utilitatem, et hoc ibi: *Facies eius sicut sol*.

<1> **Primo** igitur tangit **sanctitatem eius vite** cum angelo comparando, qui est mundissime nature, quia numquam peccavit nec peccare potest. Sic revera beatus Stanislaus dicitur angelus non natura, sed virtute, quia angelicam naturam mundicia castitatis fuit imitatus. Qui enim mundiciam servat, angelos imitatur et vitam angelicam ducit. Unde Ieronimus: *In carne vivere preter carnem non est terrena vita, sed celestis. In carne enim sibi eandem gloriam acquirere maioris est meriti, quam habere*; dum hoc optinere viribus nititur homo cum gracia, quod angelus habet ex natura. Unde legitur de eo, quod cum traditus esset studiis litterarum, cepit pueriles ludos vitare, iuvenum lasciviam fugere, studio intendere [b] et qualiter Deo magis placeret, toto cordis affectu anhelabat. Audiens igitur famam ipsius dominus Lampertus Cracoviensis episcopus eum accersivit et in sua ecclesia canonicum instituit. Qui mox inter suos concanonicos velut sidus celeste emicuit castitate moribus et exemplis omnimode sanctitatis ipsos illustrando, postmodum autem mortuo episcopo dicto in episcopum est electus.² Tunc de eo dici poterat verbum Apostoli dicentis [Heb 7,26]: *Talis decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior celis factus*, quia tota conversatio sua totusque affectus suus in celis erat.

Et quia vitam celestem duxit, celum eius sanctitati testimonium perhibuit. Legitur enim, quod cum impius rex divina ipsum celebrantem immitatim occidisset et particulas sacri corporis per campum spargi iussisset, celum super eum statim radios suos direxit et quamlibet particulam corporis illustravit. Quatuor enim aquile vise sunt a quatuor mundi partibus advolare que corpus eius circumvolantes custodiebant, ut a nulla bestia tangeretur, et iustum fuit ut quia corpus eius nullam peccati inmundiciam tetigerat, a nulla eciam bestia imunda tangeretur. Quod videntes Christiani corpus eius colligentes in unum locum posuerunt, mane autem facto invenerunt corpus eius integrum in suo sanguine tinctum, nullam cicatricem habentem, quod accipientes cum reverencia ad ecclesiam sancti Michaelis de Rupella deportaverunt et in ingressu eiusdem basilice sepeliverunt, ubi per decennium lux a sepulcro eius numquam discessit, in quo testimonium puritatis et sanctitatis eius perhibuit.³

Et nota quod mundicia tria bona homini operatur:

¹ Sermon no. LXX in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² cum traditus ... electus] Cf. *Vita minor*, 255-256; *Vita maior*, 368-369.

³ Cf. *Vita minor*, 281-282; *Vita maior*, 388-389.

<1.1> primo quod in anima hominis habitaculum Deo parat, anima enim munda et sancta est sedes Dei, Sap.: *Anima iusti sedes est sapientie*.⁴

Item est templum Dei, unde Apostolus: *An nescitis quod templum Dei sitis et Spiritus Sanctus habitet in vobis? Vos, inquit, templum Dei et Spiritus Sanctus habitat in vobis*.⁵

Tercio est tabernaculum, unde Sap. [Prov 8,31]: *Delicie mee sunt esse cum filiis hominum*. Et Apoc. [21,3]: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis* etc.

<1.2> secundo ad regnum celorum introducit, unde Ps.: *Quis ascendit ad montem Domini aut quis stabit*. Et respondit: *Innocens manibus* etc.⁶ Si ergo desideras ad regnum introire, conserva mundiciam; *hec est enim voluntas Dei*, dicit Apostolus [1 Thes 4,3], *sanctificatio vestra*, id est mundicia vestra, *ut abstineatis*. Unde ipse Dominus dicit: *Estote sancti sicut et ego sanctus sum*.⁷ Io.: *Omnis qui spem habet in illo, sanctificet seipsum, sicut et ipse sanctus sum* [sic].⁸ Unde in Apoc. [21,27] dicitur de civitate illa celesti, quod *non intrabit quidquid coinquinatum*.

<1.3> Tercio homini manifestat Deum. Unde dicit Dominus in evangelio [Mt 5,8]: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*.⁹ In qua visione habebunt [f. 126v] infinitas leticias. Si ergo vis esse habitaculum Dei, si celeste regnum introire, si faciem Dei contemplari, conserva mundiciam sicut ille sanctus etc.

<2> **Secundo** tangit **istius sancti premium** cum dicit: *Et iris in capite eius*, id est corona. Ubi notare possumus, quod iris habet triplicem colorem, sive ceruleum, rubeum et celestem. Et iste triplex color designat triplicem coronam qua Deus ipsum coronavit, coronam enim debent habere virgines, predicatorum et martyrum. Quia ipse fuit virgo, predicator, et martyr, ideo hanc triplicem coronam pro mercede a Domino recepit. Ideo merito dicitur: *Et iris, id est corona, in capite eius*.

<3> **Tercio** notatur **nostra utilitas** cum dicitur: *et facies eius erat sicut sol*. Sol virtutem habet: <3.1> illuminat, <3.2> calefacit, et <3.3> vivificat.

Ista tria habuit noster sol beatus Stanislaus: <3.1> illuminavit verbo et exemplo, <3.2> calefacit vestiendo. Unde legitur de eo, quod per totum suum episcopatum omnes orphanos, pauperes et viduas in corde suo quasi in libro scriptos habebat, quibus necessaria singulis ministrabat; mensa etiam sua omnibus communis erat et maxime peregrinis et viris religiosis.¹⁰

<3.3> Item sol vivificat, quia nisi esset sol, ut dicit Philosophus, nullus vivere posset. In fine etiam mundi, quando sol a cursu suo cessabit, omnia morientur; unde etiam videmus, quod illa, que in hieme quasi mortua erant, adveniente estate, cum sol est in sua virtute, omnia reviviscunt et florere incipiunt. Sic noster sol beatus Stanislaus multos in anima et corpore vivificavit, infirmos sanando, mortuos suscitando, obsessos a demonio liberando. Et sicut sol est magne virtutis in miraculis faciendis, sic etiam beatus Stanislaus.

⁴ Cf. Gregorius I, *Moralia*, Liber 29, Caput 28, PL 76, col. 508; and Gregorius I, *Holimiarum in Evangelia Liber II*, Homilia 38, PL 76, col. 1282. Both works quote the verse, the latter as of Salomon, the former does not specify; the editors tried to identify the verse as Sap 7,27 or Prov 10,25 with similar meaning, but their wording is not the same.

⁵ Cf. 1 Cor 6,19: *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?*

⁶ Cf. Ps 23,3-4: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde*.

⁷ Cf. Mt 5,48: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester celestis perfectus est*.

⁸ 1 Jn 3,3: *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est*.

⁹ *Beati mundi corde quoniam ipsi mundo corde quoniam Deum videbunt. ms.*

¹⁰ Cf. *Vita maior*, 372; *Vita minor*, 258 (more distantly).